

35

& passim apud Fabretum, Donium, Gudium. In ejus honorem fortasse erectum Templum MATRI KASTORVM sacrum, cujus *Sacerdotum Antistes* occurrit in Gruter. p. CCCXVII. 7., si verà est Reinesii lectio: eadem tamen appellatione insignitur, & Julia Mammæa in Grut. pag. CCLXXI. 6., & Otacilia Severa in Fabrett. Inscr. Dom. Cap. IX. n. 79., præter Faustina, quæ prima omnium *Mater exercituum* dicta est, ut testatur Cl. Gorius in Annotatione, quâ nostram Inscriptionem in Donianâ Editione illustravit; Hanc integram describo: *Casarum primus Caligula teste Suetonio in ejus Vita Cap. XXII. castrorum filius, & exercituum pater est appellatus, quod scilicet in castris natus, & educatus esset. Augustarum prima Faustina de-victis Quadis Mater exercituum dicta est, quod maritum suum M. Antoninum Pium comitata fuisset in castris, quod veteres nummi, lapides, & Scriptores testantur. Hoc exemplo adulationis gratiâ Julia Septimii Severi uxor, M. Aurelii Antonii, cognomento Caracalla, & Antonini Getæ Casarum mater, appellata est Mater Castrorum, & Augustorum, item Senatus, & Patriæ. Vid. Par. I. Inscr. Etr. Urb. pag. 6.*

ET AVG....Mater Augustorum, Caracallæ nempe, & Getæ. Alterum G abrasum fuisse notavit jam pridem doctissimus Fabretus. Ejus certe vestigia non indubia supersunt. Factum id fuit post necem Getæ a Caracallâ fratre perpetratam: tunc enim jussu Caracallæ nomen Getæ, ut omnis penitus illius memoria intercideret, ubique erasum fuisse, docuerunt Nardinus Rom. Veter. lib. V. c. 6. Fabretus de Col. Trajani Cap. II., Suaresius, Vaillantius, & alii sexcenti, quorum indicem contexere operæ fortasse pretium non esset; non enim Scriptorum auctoritate, sed rationibus, & perspicuo antiquorum monumentorum testimonio, agenda nobis res est. Etenim Cl. Fontaninus, *insignem Antiquariorum errorem a nemine hactenus animad-versum patefacere* sibi visus, in lib. I. Cap. 3. de Antiquit. Hortæ in novam concessit sententiam, putavitque numquam erasum e publicis monumentis nomen Getæ, sed solum Fulvii Plautiani Præfecti Prætorio, patris Plautillæ Augustæ: perperam vero ab omnibus Nardino *hircum vulgenti cribrum supponentibus* Getæ nomen repositum, ubi Plautiani fuerat reponendum. Duas potissimum suæ sententiæ rationes affert; Alteram quod Spartianus, quem testem appellant Nardinus, & Suaresius, non modo hanc abrasionem non narrat, sed contraria potius, quum tradat Caracallam

E 2

Fra-